

# IN FESTO SANCTI WILIBALDI EPISCOPI ET PATRONI EYSTETTENSIS.

EVANGELIUM. MATTH. XIX.

Quære supra in festo conversionis S. Pauli.

## CONCIONES.

- I. Quantum recesserimus a majorum nostrorum pietate.  
II. Quam merito colatur vobis S. Wilibaldus.  
III. Velocitas commendatur variis in rebus.

### CONCIO I.

QUANTUM RECESSERIMUS A MAJORUM NOSTRO-  
RUM PIETATE.

I. Vide Angliam. — II. Vide S. Richardi familiam. — III. Vide sœculi Wilibaldini clerum. — IV. Vide sœculi Wilibaldini laicos. — V. Vide sœculi illius fidem catholicam.

#### THEMA.

Quomodo obscuratum est aurum? Mutatus est color optimus? Thren. IV.

Contingit non raro, auditores, ut post multos annos incidat quis in amicum olim sibi cognitum, et hæreat primo aspectu secum ipse dubitans, num is antiquus ejus amicus et contubernialis sit. Quem enim prius juvenem elegantia formæ noverat, nunc sibi prorsus dissimilem, exhaustum, deformem, rugis in facie et canis in capite pictum videt stupensque: Itane, inquit, tu meus olim contubernialis? Olim tam elegans, tam robustus? Et unde tibi hi senectutis flores: *Quantum mutatus ab illo, etc?* Hunc in modum mirabatur adeoque lamentabatur Jeremias florentissimam olim Jerosolymam, vastatam a Chaldaëis et a pristino flore dejectam, toto illo Threnorum libro: *Cui comparabo, inquit, et cui assimilabo te filia Jerusalem?* Thren. cap. II. et rursum, cap. IV. Quomodo obscuratum est aurum? Mutatus est color optimus? q. d. videbaris olim aurea aureumque templum habere: nunc exusta a Chaldaëis versa es in nigredinem, ut non jam aurum, sed fuligo videaris. Ad eumdem modum ego, cum intueror in historia Sancti Wilibaldi pri-  
mum Ecclesiæ nostræ statum, qualis erat tem-

pore ipsius ante annos octingentos, in primævo suo flore, obstupeo vehementer et vix agnosco eam: adeo incanuit, adeo corrugata est, adeo vires ac formam perdidit. Cogor proinde dicere: *Quomodo obscuratum est aurum? Mutatus est color optimus?* Quod ut clarius perspiciamus, contemplum eam in utroque statu.

I. Intueor imprimis veterem Angliam, Sancti Wilibaldi præsulis nostri patriam, et deprehendo eam mire sanctitatis laude præcellentem. Imprimis enim nullum præferri regnum potest, quod habuerit tot sanctos reges: Sanctum Lucium Britanniae regem, Norici deinde apostolum: Sanctum Richardum apud Anglosaxones vel regem vel certe regia stirpe prognatum: Sanctum Ethelbertum Cantianorum seu Cantuariorum regem: (alterum Ethelbertum orientalium Anglorum: fuit enim Anglia olim divisa in septem regna.) deinde, Edmundum eorumdem regem: Chenelum Merciorum: Oswaldum Northumbrorum: post hos Angliæ totius reges Eduardos duos, secundum scilicet et tertium: deinde, septem reges Angli spreto mundo monachi facti sunt, scilicet Ethelredus, Coenredus, Ceadualla, Ine, Sigebertus, Sebbi, Ceolnulfus, teste Henrico Huntingono, lib. IV. Ad hæc Anglia exteris nationibus suppeditavit verbi Dei satores et apostolos, nec paucos de stirpe regia. Misit enim Germanus Sanctum Bonifacium, Sanctum Wilibaldum, Sanctum Wunibaldum, Sanctam Walpurgam cum virginibus aliis, S. Solam, Sanctum Lullum, Sanctum Burkardum, apud Bozium, de sign. eccles. pag. I. adeoque vere tunc erat Anglia seu angelica terra. Rursum Angli reges fuere, qui regnum Angliæ totum S. Romanæ sedi tributarium fecere, Boz. to. II. de signis eccl. denique, An-

## IN FESTO SANCTI WILIBALDI EPISCOPI ET PATRONI EYSTETTENSIS. 41

glie reges fuere, qui a Sancto Eduardo tertio hereditarunt gratiam solo tactu sanandi struam. Isdem quoque datum ut annuli quidam certis ritibus consecrati valerent mirifice adversus morbum comitiale, tracta virtute, ab anulo illo, quem S. Joannes evangelista in forma pauperis accepit aliquando a Sancto Eduardo, idemque postea de Jerosolymis per duos peregrinos in amoris signum remisit, teste Ealredo, in vita S. Eduardi.

Sed quæ nunc Angliæ facies? Heu quomodo obscuratum est aurum! Defecere sancti reges, defecere monasteria, defecit vera religio, ipsa nunc occidit prophetas quos aliis nationibus olim subministrarat. Sedi apostolicæ non præstat obedientiam, nedum homagium: primatum illi abnuit et sibi impudenter tribuit. Ipsa nunc impugnat matrem et dominam suam Ecclesiam, a quo Christo per evangelium genita est. Denique, sub Henrico octavo templorum decem milia unico evertit anno. Una cum religione regibus ejus adempta est gratia curandi. Quot religiosos et præclaros sustulit e medio Henricus et Elisabetha? Itaque Anglia non angelica, sed diabolica potius terra nunc jure vocari potest, quæ tot sanctorum sanguinem truculenta rabie hau- sit, hæresi mancipata.

II. Tueor Sancti Richardi sanctissimam familiam et stupeo vehementer. Vix enim reperiemus familiam huic similem, quæ tot educarit sanctos. Sanctus imprimis pater, sanctus uerque filius, Wilibaldus et Wunibaldus; sancta filia Walpurga: sanctus avunculus, Bonifacius frater Wonæ, uxoris Sancti Richardi. Ex eadem familia fuere Sanctus Deodatus martyr et pontifex, Sanctus Willibordus, Sanctus Sola confessor. Itaque in hac stirpe veluti in horto inventiuntur rosæ martyrum, violæ confessorum, lilia virginum. Ut merito de ea exclamat Philippus episcopus vitæ Sancti Wilibaldi scriptor: « O quam pulchra est hæc casta generatio cum claritate. Hæc est generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Jacob. » Videmus certe quanti res sit momenti, de bonis ac piis nasci parentibus et bene educari, inter bonos adolescere, ubi alter alterum velut carbo carbonem accedit sanctitate. Videmus quam vera sit nostra parœmia: Felices illi liberi, qui bonos parentes nacti sunt: miseri qui malos.

Sed quomodo obscuratum est aurum! Præcilla, inquam, illa veterum Christianorum domestica disciplina et liberorum educatio! Quantum iter conficiens, donec tales reperiamus familiam! In ea Wilibaldus filius triennio graviter ægrotans obesus et devotus est a parentibus cul-

tui Christi et Deiparae vexilloque sanctæ crucis. At modo fere sœculo ejusque vanitatibus deventur a teneris liberi et quandoque ipsi diabolo; (quod faciunt sœpe veneficæ) ægrotis etiam remedia sœpe non a Deo, sed a dæmonie et dæmoniacis quæruntur: inepti denique et inhabiles ad statum ecclesiasticum destinantur a quibusdam parentibus. Tunc temporis consueverunt parentes tradere monasteriis filios suos, ut in iis crudarentur ad pietatem et virtutem, ut fecit Sanctus Richardus, qui Wilibaldo filio primo magistrum monachum adhibuit, nomine Theodredum, deinde erudiendum tradidit Echalbo abbati monasterii Waltheim: *Ut eum jugo monasticæ vitæ subderet*, inquit Philippus episcopus. At nunc filii præsertim nobiles mittuntur a parentibus in exteris quidem nations, sed ut sœculares ludos addiscant et linguis: vel ut peregrini aliquid videant, quod quidem tolerari posset, si virtutis studium primus obtineret, quod tamen caro curatur. Alii parentes adeo tenere amant filios suos, ut eorum absentiam et ablegationem ferre nequeant, sed vaccarum instar mugiant vitulæ amissis, jugum eis imponi nolint, velintque esse filios Belial, hoc est, absque jugo. Parentes Wilibaldi cum intellexerunt filium vilioribus vesci cibis, pane sicco et leguminibus, relinquere delicatores: non tantum id non prohibuerunt, sed potius in Domino gavisi dixerunt ad se mutuo: *Quis putas, puer iste erit?* Modo vero parentes corpora potius liberorum quam animas curant et saginant, ac quicquid eis lubet, indulgent.

Parentes Wilibaldi nœquam laborarunt, ut regnum filii stabilirent eosque in sœculo potentes facerent, sed potius ut cum illis acquirerent regnum cœlorum. Ad instantiam enim filii pater purpuram exuit, et peregrini habitum induit. At nunc fere parentes summo studio laborant, ut filios ditent evanhantque, de ipsorum et sua salute parum aut nihil solliciti; obsequuntur eorumdem pravis desideriis. O tempora! O mores!

III. Video et admiror sœculi Wilibaldini sanctitatem et benedictionem: siquidem tot præclaros sacerdotes, et verbi Dei praecones habuit undique in Germania. Quot sanctorum magister et quasi pater fuit Bonifacius? Aystadio Sanctum Wilibaldum: Frisingæ Sanctum Corbinianum: Heribaldi Sanctum Burkardum: alios alii locis præposuit episcopos sanctitate claros. Canonici tum temporis vivebant uti monachi, episcopi uti eorumdem abbates, pari victu et amictu. Nulla ibi pompa, nullus splendor, ad silvas confugiebant, ad fontes considerabant, curias principum vitabant, uti imprimis Wilibaldus, ad eas licet sœpius evocatur: vino redundantes terras fugiebant, uti

Sanctus Wunibaldus, qui ut delicias et vini copiam, quæ est circa Rhenum, hominumque frequentiam vitaret, a Rheni tractu discessit in solitudinem, et monasterium Haidenhemii extruxit; facultates etiam suas postquam augeri cœperunt, pauperibus communicabant.

Sed quam obscuratum sit aurum disciplinæ clericalis, testantur nostræ miseriae. Suo jam tempore dicere solebat Sanctus Bonifacius, avunculus et magister Sancti Wilibaldi olim ligneos fuisse calices et aureos sacerdotes; nunc vero e contra aureos esse calices et ligneos sacerdotes. Sed quis non videt hoc quadrare potius in nostra sæcula? Lignei sacerdotes erimus, si cum aureis illis, qui Sancti Bonifacii et nostri Wilibaldi tempore extiterunt, comparare nos voluerimus.

IV. Video et admiror primorum, qui in Germania fuerunt, Christianorum, patriarcharum, inquam, nostrorum pietatem et fervorem. Nam imprimis sua liberalissime conferebant ad templorum et monasteriorum extirctionem; uti Sancto Wilibaldo Swiggerius comes ab Hirsberg comitatum suum. Uilo dux Bavariae jura sua, quæ habebat in illum comitatum (qui ad illum usque Boica se extenderat) et concessum: et hoc in redemptionem anima sua Swiggerius fecisse scribitur in itinerario sanctimonialis Haidenheimensis. Testatur Aventinus etsi novator, lib. III. annal. Boic. Wilibaldum usque ad decrepitam senectutem labores in ædificandis monasteriis alienis sumptibus: quia nimur ad hæc plurimi conferebant opes suas. Certe Sancto Wilibaldo ædificanti Haidenheimium, Christiani oblationes de prædiis, de manciis, de rebus mobilibus, auro, argento, gemmis, vestibus auro textis afferebant, iuste Philippo episcopo, in vita Sancti Wilibaldi, cap. XXVI. Et sane res clarissima est. Unde enim exteris et pauperculis hominibus, qui propter Christum omnia sua reliquerant, tanta fundorum, prædiorum et censuum opulentia, tot Ecclesia et monasteria, nisi a liberalitate fidelium laicorum?

Deinde, juxta monasteria sua sibi ædificabant ædes atque ut recursum suum ad ea semper haberent, et spiritualia inde subsidia caperent, adeo quodammodo excubabant. Hinc Eystadium, Haidenheimium, Herrriede, Solenhofium e monasteriorum imo cellularum incunabulis resurrexerunt in civitates, oppida, pagos, quod et in aliis plurimis Germaniæ locis videre est. Atque ita videtur mihi Germania tunc fuisse, quasi unum amplissimum monasterium: vita Germanorum æmula monasticæ.

Sed nunc quam obscuratum est aurum? Ubi nunc

illi, qui de patrimonio suis monasteria vel collegia fundant recentioribus religiosis, ac proinde egentioribus? Rariores albo passere sunt; si episcopos et principes excipias. Utinam non catholicorum aliqui hæreticos imitarentur, qui monasteria absorbent, et ad suum peculium capiunt. Illud intolerandum, quod cum templo et sacerdotes ad manum undique habeamus, ad ea tamen ægre, etiam cum de vita periclitamur, recurrere soleamus.

V. Deprehendo fidem nonnisi catholicam his locis viguisse, nec aliam præter hanc ullibi compertam fuisse. Cum enim Bonifacius a sede apostolica Roma in Germaniam missus sit, præstito prius juramento se aliud non docturum, nisi quod Romana docet Ecclesia, quid aliud quæso tunc creditit Germania universa, quam fidem et a quo primitus accepit, sacramentum illud Bonifacii hic attexam; estque hoc:

In nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi, imperante Domino Leone Magno imperatore, anno septimo post ejus consulatum, sed et Constantini Magni imperatoris ejus filii, anno quarto inchoato, scilicet indictione sexta: Promitto ego Bonifacius Dei gratia episcopus, tibi beate Petre, apostolorum princeps, vicarioque tuo beato Gregorio papæ et successoribus ejus per Patrem et Filium et Spiritum sanctum, Trinitatem inseparabilem, et hoc sacratissimum corpus tuum, me omnem fidem et puritatem sanctæ fidei catholicæ exhibere et in unitate ejusdem fidei, Deo operante, persistere, in qua omnis Christianorum salus esse sine dubio comprobatur, nullo modo me contra veritatem communis et universalis Ecclesiæ, suadente quopiam, consentire, (ut dixi) fidem et puritatem meam atque concursum tibi et utilitatibus Ecclesiæ tuæ, cui a Domino Deo potestas ligandi solvendique data est, et prædicto vicario tuo atque successoribus ejus per omnia exhibere; sed et si cognovero antistites contra instituta antiqua sanctorum patrum conversari, cum eis nullam habere communionem aut conjunctionem, sed magis, si valuerò prohibere, prohibeo; sin minus, fideliter statim domino meo apostolico renuntiabo. Quod si (quod absit) contra promissionis meæ seriem aliquid facere, quolibet modo seu ingenio vel occasione tentavero, reus inveniar in æterno iudicio, ultionem Ananie et Sapphire incurram, qui vobis etiam de rebus propriis laudem facere præsumperunt. Hunc etiam indiculum sacramenti ego Bonifacius exiguis episcopus manu propria scripsi atque ponens supra sacratissimum corpus Sancti Petri, ita ut præscriptum est, Deo teste et iudice, feci sacramentum, quod servare

promitto, » apud Baronum, anno septingentesimo vigesimo tertio.

Hic ergo Bonifacius Wilibaldum Roma a pontifice ad se destinatum accersivit et episcopum nostrum instituit: qui utique nihil aliud docuit aut docere potuit, quam quod a Romano pontifice et magistro suo Bonifacio accepit. Undique personabat missa, celebrantur sancti et reliquiae eorum, vota passim et suffragia fiebant pro defunctis, monasteria incolebantur et struebantur, vota monastica servabantur, etc. Tunc temporis præcipui Patricii Norimbergenses ad monasterium Mariæburgense filias suas missitabant Deo servituras. Eodem ad Sancte Stillæ tumulum concursus fieri cœpit a vicinis Norimbergensibus, Westenburgenibus, Anspacensibus et ab aliis, qui beneficia per merita Beatae Stillæ virginis impetrata, testabantur donarii votivisque tabulis, prout olim quoque ad sepulcra martyrum fieri consuevit, ut scribit Gretserus, lib. II. observationum, in vitam Sancti Wilibaldi.

De Sancto Wilibaldo scribit Philippus, in vita ejus, cap. XXVIII. « Apud Egram, inquit, dum cives de vestibus Beati Wilibaldi particulam secum domum deferrent, ob beati Wilibaldi reverentiam, occurrente utriusque sexus turba copiosa, cum processione prosternentes se devotissime terræ offerunt cujusdam ditissimi filium, pedibus et manibus curvum et contractum, dicentes: O inclite præsul Wilibale! Ostende nobis fidelibus tuis in hoc paralytico tuam gratiam salutarem. » Illico tactu sanctuarii adolescens pristinæ restitutus sanitati. De hoc nobis fides facta fuit, ejusdem loci viginti civium juramento. » Hæc Philippus. Eadem religione suscepérunt olim Sollemhofenses (de diocesi Eystettensi) reliquias Sancti Venantii martyris, ut scribit Rudolphus monachus Fuldensis, apud Browerum, lib. III. antiquit. Fuldens. Verum: *Quomodo obscuratum est aurum?* O cella Solæ, o Albigurgum, o Onolzbacum, o Norimberga: *Quomodo mutatus est color vester optimus?* O domus antiqua, quam hodie dispar dominaris Domino? Quid enim disparius Wilibaldo et Luther? Sola et Melanchthon? Walpurga et Lutheri pellice? Quam diverso spiritu nunc calletis, quibus olim sancti nostri patroni eorumque reliquiae summo in honore erant? Jacent nunc in tractibus vestris prostrata monasteria, pulsi religiosi, missa exterminata, templo spoliata vel deserta, reliquiae sanctorum abjectæ, sacerdotes exsiliati, papa explosus, omnia denique sacra a vobis profanata! Proh cæci degeneres filii, quid convenit vobis recedere a primæva parentum vestrorum fide; hæc enim quia post gen-

tilismum prima fuit, utique vera fuit; nulli enim hæretici paganos convertere. Bonum semen primo Christus seminavit, postea diabolus superseminavit zizania; itaque et hæresis veram Christi fidem sequitur, non præcedit.

QUAM MERITO COLATUR A NOBIS SANCTUS  
WILIBALDUS.

- I. Quia filius Angli regis. — II. Quia primus noster episcopus. — III. Quia fidei catholicæ assertor. — IV. Quia virtutibus clarus. — V. Quia miraculis potens.

## THEMA.

*Attendite ad petram, unde excisi estis.* Isaïæ LI.

Isaias ut suæ gentis et temporis hominēs ad justitiam reformaret, non putavit melius argumentum majusque calcar ad hoc inveniri posse, quam si eis patriarcham Abrahamum proponeret in exemplum iis verbis: *Attendite ad petram, unde excisi estis.* *Attendite ad Abraham patrem vestrum,* ut sic degeneres filii visa patris sui effigie vel se emendarent vel certe erubescerent. Idem ego si fecero, auditores, nemo jure moleste accipiet. Vide enim nos ab avita parentis et episcopi nostri Wilibaldi virtute multum deflexisse: *Attendite ergo ad petram, de qua excisi estis.* *Attendite ad patrem vestrum,* qui per evangelium vos in Christo genuit. Prima quidem et principalis petra in Sancta Scriptura Christus dicitur: secunda Petrus, et postmodum omnes apostoli atque episcopi, qui Ecclesiæ diversis in locis erexerunt et fundarunt. Hujusmodi petra est Sanctus Wilibaldus, primus noster episcopus, adeoque primum Ecclesiæ nostræ fundamentum. Quod si igitur cum primus Ecclesiæ alicujus lapis ponitur, festum instituitur: multo magis id decet, non semel sed quotannis facere ad honorem petræ nostræ primæ, Sancti Wilibaldi. Verum ut manifestius fiat, quanto jure colamus hunc sanctum, quæ dicemus, observanda sunt.

I. Quia cum esset filius regis in Anglia, ultra paternam hæreditatem reliquit et domum, ac propter Christum pauper factus posthabitatis suis commodis et bonis animarum lucrum quasivit, et in terram alienam, ad partes scilicet nostras, venit. Annon res hæc æterna memoria digna, filium regis ad exemplum Filii Dei, de solio suo descendere, et ad exteris nationes juvandas accurrere; vidit nimur hic sanctus agrum, in quo lateret thesaurus animarum absconditus et

idecirco vendidit omnia et emit agrum istum, ut thesaurum in eo latentem erueret. Unde melius quam Petrus dicere poterat: *Ecce nos reliquimus omnia*, quia Petrus piscator erat et pene nihil habebat, ideoque non difficile quod habebat, poterat deserere: sed filium regis omnia relinquere, et Christum sequi, hoc opus, hic labor est. Quis unquam ex Lutheranis et Calvinistis (ut hoc obiter adnotem) rex aut princeps hoc fecit? Quis unquam non dico regum, sed nobilium tantum, prædicens factus est? Imo quis nobilis filiam alicui prædicanti dedit? Nobilis esse desineret, qui prædicens esse inciperet; adeo contempta hæc plebs est: cum tamen nos catholici semper habuerimus et habeamus adhuc passim sacerdotes ac religiosos de nobilibus quibusque stemmatibus, qui nequaquam erubescunt attonsi in coronam, habitum gestare clericalem et munus exercere apostolicum: neque solus ipse in agrum nostrum venit; sed præterea etiam fratrem Wunibaldum, sororemque Walpurgam, neonon Solam propinquum suum ad nos adduxit vel allexit, ut socios operarios tam copiosæ messis haberet: imitatus in hac re Petrum, qui deprehensa ingenti piscium copia in reti, annuit sociis alia in navi constitutis, ut venirent et auxiliarem manum præberent, Lucæ V. Quanta hæc nostra diœcesis gloria, habuisse tam nobiles et tam sanctos progenitores?

II. Quia primus noster episcopus et pastor fuit per annos triginta sex. (scilicet ab anno Domini 745. usque ad annum 781. quo obiit) qui nos partim adhuc ethnicos, partim quidem Christianos, sed densis adhuc tenebris involutos et pessimis moribus imbutos ad viam veritatis et justitiae reduxit. Unde merito eum nostrum Raphaëlem dicere possumus, qui nos duxit et reduxit, id est, alias ad fidem duxit, alias a fide deviantes reduxit, dæmonium a nobis depulit, e fauibus inferni nos eripuit, videre viam veritatis fecit, et bonis omnibus replevit. Quid ergo ad hæc poterimus ei dignum dare? Vere angelus ex Anglia ad nos venit: vir a multis exoptatus, nobis tandem præter omne meritum nostrum obtigit. Cum adhuc puer oblatus esset abbatii Eckbaldo in Waltheim ad disciplinam monasticam, abbas sumopere lætatus cum instar Simeonis in ulnas accepit et benedixit Deum ob tam præclarum pignus, eumque peregrinaturum tandem ægerrime dimisit. In reditu de Jerosolyma ad montem Cassinum divertit et per decem annos ibi monachum agens, iterum summe acceptus fuit, sed nec illi loco relicitus ad pontificem mittitur et ab hoc ad Sanctum Bonifacium, qui, uti et rex Pipinus maxima gratulatione eum excepere: tandem a

Bonifacio ad nos missus et noster factus est. Vere igitur felix terra nostra, quæ talem angelum ducem a Deo accepit. Cum enim a parentibus Deo et B. Virginis a pueri fuerit oblatus, jure dicere possumus eum nobis a Deo et B. Virgine fuisse donatum.

III. Quia fidei nostræ clarissima præbet testimonia, ejus veritatem confirmando. Quis enim quæso, fuit Wilibaldus? Nonne discipulus Sancti Bonifacii? Nonne ab eo ordinatus presbyter et episcopus Eystadiensis, praesente Sancto Burckardo episcopo Wirzburgensi et Wizzone episcopo Buraburgi, in Sulzberg? Et quis fuit hic Bonifacius? Natione Anglus, religione catholicus, professione monachus, postmodum archiepiscopus Moguntinus officio præparator et apostolus Germaniæ, genere nobilissimus, avunculus SS. Wilibaldi et Wunibaldi, qui patre Richardo, Angliæ rege, nati sunt. Omnia ista magna sunt et fidem nostram exaltant. A parentibus adhuc puer traditus est monasterio, Ades Cancaster et postea Nutschellæ, sub disciplina regulari ibi sacris literis imbuendus. Denique, episcopus factus variis Germania populis, Bavaris, Hassis, Frisonibus, Thuringis, etc. prædicavit, et partim episcopos dedit, ac sedes episcopales co<sup>n</sup>stituit; ut Wirzburgensem et Eystetensem: illis Burckardum, his Wilibaldum præfecit: partim reformavit episcopos alios et sacerdotes, qui a disciplina defecabant: qua ratione Frisingensi sedi præfecit Corbinianum, Salisburgensi Joannem: ita ut merito apostolus Germaniæ dicatur. Sed a quo missus est Bonifacius ad munus episcopale exercendum, seu a quo ordinatus est episcopus? A Romano Pontifice Gregorio II. Hic enim cum primo misisset in Germaniam ad fidem conversionem, post quadriennium ad se evocatum, perhumanter accepit, et accepta ab eo fidei professione episcopum ordinavit, novo illi Bonifaci nomine imposito, cum antea Winfridus diceretur, et ut ad obedientiam sibi suisque successorum exhibendam omnemque sacræ fidei traditionem adstrinseret, juramentum ab eo exegit et accepit, apud Baron. anno 723. Advertite Germani, a quo fidem et evangelium accepit: *Attendite ad petram, unde excisi estis*. Non mentiuntur adversarii nostri, cum nos Romanistas et Papistas vocant. Unde enim evangelium Germaniæ nisi a Roma et papa.

At quando missus Bonifacius? Ante annos 900. Nam anno Domini 723. episcopus ordinatus est papa, et in Germaniam demum missus est, quo tempore Germania adhuc passim gentilismo mixta erat, et qui prius Christiani erant, nonnisi catholici erant. Quare ante Bonifa-

## IN FESTO SANCTI WILIBALDI EPISCOPI ET PATRONI EYSTETTENSIS.

45

cium nos Germani aliam fidem non habuimus, si quam habuimus, nisi catholicam: reliquum ethnicismus fuit. Quomodo quæso triumpharent hæretici, si fidem suam à tot annorum centuriis deducere possent? Hæresis eorum nuper centum annos attigit: et quantum tunc jubilæum ab eis passim excitatum? Et quid est fides centum annorum, tam sera præsertim? Nos neque a Bonifacio fidem nostram inchoamus, sed ab ipsa Petri ædæ, quæ Bonifacium nobis misit ante annos 900. quando nulla adhuc secta apud nos nisi gentilium extitit; unde tam antiqua est, atque ipse Petrus. Jam vero quis es qui nesciat, ante Lutherum Lutheranos nullibi fuisse? Ante Calvinum Calvinistas? Hos vero quis ignorat post annum Christi 1500. primum exortos fuisse? Nonne fides Christi tam antiqua esse debet, atque ipse Christus? Quis enim dicat Christum talem sibi accepisse sponsam, que nonnisi post annos 1500. nascitura erat?

Denique, quid docuit Bonifacius? Fidem utique catholicam, nam secundum eam quoque vixit. Ipse missas celebravit et pro mortuis offerre jussus est a papa in epist. omniaque ex præscripto papæ fecit, ut patet ex epistolis ad eum missis; ergo Papista fuit. Ipso prædicante passim in Germania, hinc monasteria extraherant, illinc tempa; ergo vitæ monastica et cultus divini prædicator et propagator fuit. Ipse undique passim sacerdotes et episcopos ordinavit, uti Eystadii Wilibaldum nostrum; ergo sacerdos et episcopus fuit, rite consecratus. Ipse limina apostolorum invisit et veneratus est, et sanctorum illic quiescentium se precibus commendavit, inde secum reliquias abstulit a pontifice oblatas secumque undique gestavit, ut in ejus vita, lib. I. cap. XVII. ergo peregrinationis et reliquiarum, missæ, pontificis amator, adeoque Papista fuit. Ipse baptizatis a se, confirmationem daturus, precatus fuit: ergo catholicus fuit et confirmationis sacramentum admisit. De ipso denique Sanctus Wilibaldus ejus discipulus, in ejus vita, capitulo decimo ait: *Usque ad gloriosum exitus sui diem incessanter arctam regni cœlestis viam plebis patet*. Quid hoc o Lutherani et Calvinistæ? Numquid Lutherus et Calvinus viam eamdem docuerunt? Quæ est arcta via? *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Sed hoc impossibile dicunt illi, ergo arctam vitam non tenent. Quæ est arcta via? *Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna*: sed hæc ipsi peccata dicunt. Quæ est arcta via? Servare fidem Deo in votis præsertim solemnibus et monasticis: sed hæc ipsi rumpunt et rumpenda asserunt. Quæ est arcta via? Servare fidem uxori: sed Lutherus clamat: *Si non velit uxor,*

*veniat ancilla*. Quæ est arcta via? Servare ss. canones et Ecclesiæ præcepta: sed illos Lutherus exussit, hæc contempsit.

Deinde, nonne etiam Wilibaldus ad limina apostolorum peregrinatus Romano antistiti obedientiam præstítit, a quo ad Bonifacium missus est? Nonne is monasticae vitæ addictus et in monasteriis Waldheim, et monte Cassiano, quasi educatus fuit? Nonne is monasterium cathedralē Eystadii, excisis quercubus extraxit? unde nunc canoniciatus? Nonne ædificandis monasteriis virorum et monialium usque ad extremam senectam perpetuo adlaboravit? Nonne sacerdos inaugurus missarum solemnia rite peregit, et per ea paulo ante obitum suis valedixit? Testantur hæc non catholici tantum, sed et hæretici scriptores, Magdeburgenses, Balæus, Aventinus, etc. Et certe nihil horum sapit Lutheranismum. Ubi enim tunc Lutherani erant?

IV. Quia omni genere virtutum nobis præluxit. Charitate, dum patrem suum ad peregrinationem et voluntariam paupertatem de solio regali traxit: humilitate, quia monasterio puer traditus, noluit quidquam honoris admittere tamquam regis filius, malens laboribus fatigari, quam vita humanæ favoribus extollī? Patientia, imprimis in cæcitate perforanda, quæ ei Jerosolymis in templo Sancti Matthiæ contigerat, in qua consolabatur se ut Tobias; a qua etiam paulo post divina gratia curatus est: obedientia, parendo abbatis, summo pontifici, Sancto Bonifacio, quocumque mitteretur: idem austerus in seipsum, humanissimus et mitissimus erga alios erat, largus in pauperes, consolator et medicus peccatorum: abstinentia, quia a puer adhuc in domo paterna assuevit vilioribus cibis, uti Daniel; interimque nihil prorsus roboris aut formæ perdidit; sicco enim pane et fabis vescebatur et delectabatur; cibos regios aspernans, leguminibus contentus erat. Unde parentes ejus sepe dicebant: *Quis putas puer iste erit?* teste Philippo episcopo, in vita.

V. Quia sepe multa beneficia nobis per miracula præstítit; e quibus impreäsentiarum duo tantum audiamus, conscripta ab eodem Philippo episcopo Eystettensi, in ejusdem vita, capite ultimo.

« Primum signum, inquit, ipso die translationis circa horam sextam factum est in contracto existente de familia chori majoris præpositi, domini Alberti videlicet, janitore noto et enutrito ab Eystettensibus a juventute. Qui cum relatu didicisset reliquias Sanctæ Walpurgis ad cathedralē ecclesiam deportari, sumptis podiis more solito, firmiter claudicando chorūm ascendit pro-

## CONCIO III.

rumpens clamore valido in hæc verba : O gloriose præsul Christi Wilibalde, da mihi panem nuntii, soror tua advenit, te benigne salutatura. Et appropians aræ intemeratae Virginis Mariæ, qua locatum fuerat sacrosanctum corpus Wilibaldi, trina postulatione peracta, sanitatem omnimodam est adeptus : ita videlicet, quod podiis et baculis abjectis cœpit jubilare, saltare et magnificare nomen præsulis Christi Wilibaldi. »

Alterum signum : « Cum peregrini volentes post visitationem Sancti Wilibaldi, qui tam de Batisbona, quam de aliis civitatibus et villis confluxerant, ad propria remeare, in Ingolstat. octoginta utriusque sexus tam senum, quam mulierum gravidarum, et puerorum, navem intraverunt. Qui cum venissent in Vobburg, ubi transitus est petrosus et periculosus, nautæ navem incaute regentes, passi sunt naufragium universi peregrini. Gementes autem et nomen confessoris Christi Wilibaldi devotissime invocantes, visi sunt Danubio velut anates supernatare, quamvis plurimi ex illis artem natandi nunquam exercuerunt. Et pueri ac mulieres imprægnatae illæsi ad portus exivere diversos. Dux vero Bavariae Ludovicus, et ministeriales, ac alii hospites, ante portam castri stantes, velocissime, cum viderunt præfatos naufragari, ad Danubium cucurserunt, omnibus naves habentibus sub interminatione rerum, et personarum strictissime præcipientes, ut naufragantibus subvenirent. At illi naufragi extensis manus respondentes dixerunt, se nullius auxilio egerent, nisi solius confessoris Sancti Wilibaldi : et ita omnes salvi et incolumes evaserunt, Beato Wilibaldo existente ductore. »

Attendite itaque ad petram, auditores, unde excisi estis : attendite ut ametis eum, qui ad vos a regno suo descendit et tanto itinere quidem : attendite ut eum colatis tamquam primum vestrum pastorem et patrem : attendite ut in ejus fide firmiter persistatis : attendite ad ejus virtutes, ut eas imitemini : attendite ad ejus gloriam et potentiam, quam in cœlo habet, ut eum invocetis. Nec dubium quinetiam pro nobis diœcesanis suis in cœlo semper oret : Numquid enim obliisci potest mulier infantem suum, Isa. XLIX. etc.

---

Secundo, quia nisi proposita bona a Deo inspirata cito mandemus effectui, periculum est ne brevi expirent et evanescant. Sic dicere solemus: *Ferrum dum fervet, cudendum esse.*

Tertio, quia incertum est, an rursus postea voceris saltem tam efficaciter. Prima ergo et proxima quæque occasio salutem acquirendi arripienda est, exemplo illius eunuchi, Actor. VIII. cui cum Philippus prædicaret Christum et baptismum transiens prope aquam : *Ecce aqua, inquit, quid probi het me baptizari?*

## CONCIO III.

## VELOC TAS COMMENDATUR VARIIS IN REBUS.

- I. Obedi Deo cito. — II. Pœnitentiam age cito. — III. Surge mane cito. — IV. Templum adi cito. — V. Redde quod debes cito. — VI. Da cito. — VII. Redi in gratiam cito.

## THEMA.

*Vidisti virum velocem in opere suo? Coram regibus stabit. Prov. XXII.*

Verus et laudandus nos parentum est indere liberis suis nomina sanctorum patronorum. Cum ergo Sanctus Wilibaldus diœceseos nostræ patronus sit, optarem sane hoc nomen multis commune esse. Sed quid dico multi? Utinam omnino omnes vocaremur Wilibaldi. Hujus enim nominis significatio quid aliud Germanis sonat, quam *Willich bald* seu promptam voluntatem, ut Philippus episcopus Eystettensis, in ejus vita, cap. IV. *Præclarum viri nomen, quod vel ab ipso Sapiente jam dudum commendatum fuit, Proverb. cap. XXII. Vidisti virum velocem, inquit, in opere suo? Coram regibus stabit nec erit ante ignobilis.* Talis profecto, vir fuit Sanctus Wilibaldus, qui proinde ad regum consilia et principum palatia frequenter evocabatur, ad gravia expedienda negotia, uti testatur idem Philippus, cap. XXIV. Quem utinam et nos imitari studeremus. Sed quænam illa negotia sunt, in quibus celeres nos exhibere oportet? Inter multa consideremus pauca.

I. Obedire vocanti Deo et servire cito ; (sic mandat paterfamilias servo : *Exi cito in plateas, etc. Luc. XIV.*) Primo, propter majestatem vocantis, videmus enim famulos principum currere vocatos. Memoriae proditum est, philosophum quemdam a rege vocatum, cum philosophus in summa arce, rex vero in inferiori parte esset, se ex fenestra præcipitem dedisse, ut ostenderet, quanta celeritate regi parendum esset, Osor. tom. II. conc. in visitatione B. M. V. Quod si regi terreno, quanto magis cœlesti ?

Secundo, quia nisi proposita bona a Deo inspirata cito mandemus effectui, periculum est ne brevi expirent et evanescant. Sic dicere solemus: *Ferrum dum fervet, cudendum esse.*

III. Mane surgere cito, juxta id Ecclesiastici, cap. XXXIV. *Hora surgendi, non te trices: et illud Sapientis: Oportet prævenire solem ad benedictionem tuam et ad ortum lucis te adorare, Sapient. c. XXVI.* Quod ex eo colligit, quia manna cœlo demissum summo mane colligi debuit quotidie ; alioquin enim : *Ab exiguo radio solis calefactum labescet, ut ibidem dicitur. Ratio est primo, quia tempus matutinum sanissimum, et labori, præsertim studiis, est commodissimum. Hinc rex*

## IN FESTO SANCTI WILIBALDI EPISCOPI ET PATRONI EYSTETTENSIS. 47

Exemplo est Sanctus Wilibaldus, qui a puero Deo servire coepit in monasterio. Neque Deo solum, sed etiam hominibus nobis præpositis cito obedientum est. Et tales amantur a dominis, principibus : sicut e contra morosi molesti et odiosi sunt.

II. Pœnitentiam agere et confiteri cito, juxta id Eccles. cap. V. *Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem, subito enim veniet ira illius, in tempore vindictæ disperdet te.* Atque hæc est prima causa, quia scilicet incerti sumus, num Deus ad pœnitentiam sit nos expectaturus diu. Idem docemur a villico iniquitatis Lucæ, cap. XVI. ubi debitori centum eadom mandat : *Sede cito et scribe quinquaginta.* Ecce ita festinari jubet? Ne videlicet debitor præventus a creditore solvere cogatur integrum debitum, si nimur dominus litteras cautionis inspexerit. Possumus et nos per pœnitentiam eradere ac delere debita nostra : sed hoc cito faciendum, dum simus adhuc villici, ne subito præoccupati ab adventu Domini pœnitere non possimus.

Secundo, quia quo tardius, eo difficilius pœnitens et confitemur. Sunamitis illa, cum filius ejus mortuus esset, festinaret exurrit ad Eliœum imperans servo suo ductori : *Mina et propera, ne mihi moram facias in eundo, IV. Reg. IV.* Faciebat illa hoc, ut filius ejus a propheta ad vitam revocaretur, dum adhuc quasi caleret. Sed et propheta mittens puerum suum ad suscitandum illum, jubet eum festinare, ita ut per viam neminem salutet. Ita nimur festinandum est in spirituali suscitatione animæ per peccatum mortuæ; ne si nimium peccatis assueta frigescat, suscitar non possit amplius. Et quis, quæso, non festinaret ad liberandum se a cadavere fœtido, quod corpori suo alligatum, undique circumferret? Et tamen innumeri sunt, qui animam suam mortuam et omnicadavere fœtidiorum sæpe multis annis corpori suo alligatum, undique circumferunt. Audi Ezechielem, cap. VIII. *Anima, quæ peccaverit, inquit, ipsa morietur.* Ex quo infert Sanctus Augustin. tractat. III. in Apoc. tom. IX. *Multi in corporibus vivis, inquit, animas mortuas portare noscentur.*

III. Mane surgere cito, juxta id Ecclesiastici, cap. XXXIV. *Hora surgendi, non te trices: et illud Sapientis: Oportet prævenire solem ad benedictionem tuam et ad ortum lucis te adorare, Sapient. c. XXVI.* Quod ex eo colligit, quia manna cœlo demissum summo mane colligi debuit quotidie ; alioquin enim : *Ab exiguo radio solis calefactum labescet, ut ibidem dicitur. Ratio est primo, quia tempus matutinum sanissimum, et labori, præsertim studiis, est commodissimum. Hinc rex*

Persarum certum habebat, ut mane ingressus regi diceret : *Surge rex, atque ea cura, quæ te curare voluit tuus Mesoromasdes, id est, bonus tuus genius, Plut. in lib. quod in principe requiratur doctrina.* Hoc idem nobis mane occinit gallus, de quo sapienter dixit quidam : *Tribus hisce paruisse nunquam te pœnitateat: veritati potissimum divinæ: consilium danti bonum: gallo gallinaceo e somno excitanti, Cornel. a Lapide in Jeremiæ cap. XXII.*

Secundo, quia tempus vita nostræ per semetipsum breve est, non ergo somni indulgentia magis breviari debet? Dicuntur faltones Norvegiae velocissimi esse ad prædam, eo quod dies ibi breves sint. Quia igitur vita etiam nostra brevisima est, annon jure merito somnum abrumpere nos decet, et prædæ salutis nostræ diligenter vacare? Revelatum est Isaïæ, c. VIII. fore hoc nomen, id est officium et munus Christi : *Velociter spolia detrahe, cito prædare.* Sit ergo et hoc nomen munus Christiani, quia tempus prædandi breve est. Sane in Apocalypsi sæpius minatur Christus : *Ecce venio cito, etc. Apocal. III. et XXII.*

IV. Templum adire cito. Primo, quia ibi Christus nos expectat, qui de celo ad nos venit. Nonne advenientem principem civitas tota in armis expectat? Arma nostra rosaria sunt et libri precatori. Magdalena cum audivit : *Magister adest et vocat te, surrexit cito et venit ad eum, Joan. XI.* Monemur etiam et vocamur a campana ad Christi adventum in sacrificio: doceat igitur ut surga mus cito et obviemus ei.

Secundo, quia aliquin et alios perturbamus, et desidiam ac tepiditatem nostram ipsi palam promidimus, ac sæpe magnam s. missæ partem negligimus cum peccato.

V. Cito reddere debita et restituere aliena cum Zaccæo dicente, Luc. XIX. *Si quid aliquem de fraudavi reddo.* Quia perceptum restituendi, affirmatum includit etiam præceptum negativum non detinendi rem alienam, quod semper obligat. Peccat ergo, qui cum possit solvere quod debet, non solvit: item, qui tardat restituere bona alia: simili ter qui mercedem operario indigent differt sine causa contra legem Deuter. XXIV. ubi jubetur ei reddi merces ante solis occasum.

Similiter vota Deo nuncupata reddere sine mora: sic enim præcipitur Deut. XXIII. *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus; et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Fecerunt hoc parentes S. Wilibaldi, qui cum illum divino cultui vovissent, memores illius verbi: *Vovete et redite, adhuc puerulum abbat: tradiderunt i-*

## CONCIO III.

monasterio educandum, Philippus, in ejus vita, c. IV.

VI. Opera misericordiae exercere cito. Primo, quia ut dici solet: *Qui cito dat, bis dat.* Sic Abraham exceptis hospitio angelis festinavit in tabernaculum, cucurrit ad armentum, accelerare jussit Saram uxorem suam in parando cibo, Genes. XVIII. Contra qui tarde dat, vendere potius, quam dare censetur: *Caro enim satis emitur, quod precibus impetratur,* ait S. Richardus episcopus, apud Surium, tom. II. idemque pauperibus etiam non potentibus dabat. Causam rogatus dicebat: *Quia scriptum est: Prævenisti eum in benedictionibus.* Segnities in dando, signum est malignitatis et avaritiae, teste S. Basilio in id Lucæ: *Destruam horrea, etc. Promittis,* inquit, *non ut des postea, sed ut in præsens propulses.* Ne dicas amico tuo, inquit Sapiens, Proverb. III. *Vade et revertere, et cras dabo tibi, cum statim possis dare.* Myrra prima, quæ distillat ex arbore non incisa, melior est myrra secunda, quæ defluit ex incisa: vinum quod ex uvis non pressis, sed urgentibus sponte fluit, melius est presso; sic eleemosyna, que cito et ultra datur, melior est ea, quæ extorquentur.

VII. Reconciliari proximo offenso cito. Sic enim monet Dominus, Matth. cap. V. dicens: *Esto consensit adversario tuo cito, dum es in vita cum eo, ne forte tradat te adversarius judici et judex tradat te ministro et in carcere mittaris.* Judex Christus est, minister angelus, carcer infernus. « Si, ait

auctor oper. imperfect. quamdiu in via hujus vitæ es, non feceris pacem cum adversario, quem lèssi, sed sic inimicantes per mortem ieritis ante judicem Christum, tradet te Christo, convincens te reum in judicio ejus et judex tradet te ministro, id est, angelo pœnarum crudeli, et ille mittet te in carcere gehennæ. » Sic ille. Exemplo est Sapricius presbyter, qui cum Antiochiae, anno Domini 260. ob fidem varie tortus ad martyrium educeretur, et in via Nicæphorum, inimicum suum obvium haberet, eique veniam humiliter petenti, dare abnueret, cum jamjam ictum carnificis et palmam martyrii victor accepturus esset, repente vicitus et mutatus Christum abnegavit. Quod Nicæphorus videns ipse se Christianum elata voce professus, in locum Sapricii, a quo pacem obtinere non poterat, succedens, martyrii coronam ei præripuit, Surius, in act. Nicæph. 9. febr. mirabile judicium, in quo pars lædens vincit coram Deo, et læsam tradit judici, judex vero tortori. Ita nimis si inimicus tuus, a quo læsus es, veniam a te petat, tu vero eam neges, causam tuam perdis: et non tu ipsum, sed ipse potius et pœnis subjeciet.

Quare, auditores, nomen patroni nostri S. Willibaldi imitemur, et si vitam ipsius omnem non possumus imitari, imitemur saltem vocabulum; studeamus esse veloces in operibus nostris bonis, ut in futuro sæculo stemus coram rege nostro Christo, qui est Rex regum, et Dominus dominantium.

## IN FESTO S. MARIE MAGDALENÆ.

EVANGELIUM. Luc. VII.

In illo tempore, rogabat Jesum quidam de Pharisæis, ut manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi discubuit. Et ecce mulier, quæ erat, in civitate peccatrix, ut cognovit quod Jesus accubuit in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti, et stans retro secus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, et capillis capitatis sui tergebat: et osculabatur pedes ejus, et unguento ungebat. Videns autem Pharisæus qui vocaverat eum, ait intra se, dicens: Hic si esset propheta, sciret utique quæ et qualis est mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est. Et respondens Jesus, dixit ad illum: Simon, habeo tibi aliquid dicere. At illa ait: Magister dic. Duo debitores erant cuidam fœneratori: unus debebat denarios quingentos, et alias quinquaginta. Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque: quis ergo eum plus diligit? Respondens Simon, dixit: Aestimo, quia is, cui plus donavit. At ille dixit ei: Recte judicasti. Et conversus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intravi in domum tuam, aquam pedidis meis non dedisti; hæc autem ex quo intravi, non cessavit osculari pedes meos: oleo caput meum non unxi; hæc autem unguento unxit pedes meos. Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata tua. Et cœperunt qui simul accumbebant, dicere intra se: quis est hic, qui etiam peccata dimittit? Dixit autem ad mulierem: Fides tua te salvam fecit, vade in pace.

## CONCIONES.

- I. Quadruplex convivium hodierni evangelii.
- II. Maria Magdalena speculum penitentium.
- III. Contritionis motiva.
- IV. Quanta sit vis lacrymarum.
- V. Damna fœde libidinis.
- VI. Varii contemptores proximorum reprehenduntur.
- VII. Non spernendos peccatores.
- VIII. Documenta et mysteria.

## CONCIONES AUCTARII.

- I. Magdalena similis viti.
- II. Quatuor etyma Magdalena.
- III. Magdalena cur peccatrix dicta.
- IV. Cur se Magdalena a solo Christo absconderit.

## CONCIO I.

QUADRUPLEX CONVIVIUM HODIERNI EVANGELII.

- I. Convivium a Pharisæo Christo datum. — II. Convivium a Christo Pharisæo exhibutum. — III. Convivium a Magdalena Christo exhibutum. — IV. Convivium a Christo Magdalena exhibutum.

## THEMA.

Ingressus domum Pharisæi discubuit. Luc. VII.

Rem periculosam esse convivia adire, præser-tim temulenta, vel ethnici docuerunt. Hinc enim

## VI. PARS FESTIVALIS.

est illud Diogenis ad quemdam adolescentem euntem ad convivium: *Deterior redibis,* Laert. lib. VI. At vero ubi Christus adest in convivio, non esse periculosum convivium adire, donec in hodierno evangelio. Ubi Magdalena convivio adiuit, non modo non deterior, sed melior in le-rediit. Quoniam ergo Christum in hoc assidere convivio scimus, non dubitemus, auditores, eo et nos accedere. Spero enim nos nequaquam exteriores, sed meliores inde reddituros.

Non unum tantum est convivium hujus evan-gelii, sed quadruplex omnino, unum exhibuit